





1740,8 386
AB
FACVLTATIS IVRIDICAE
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS,
PRÆFATÆ FACVLTATIS ET IVDICII ELECTORALIS
PROVINCIALIS ASSESSOR SENIOR, PROFESSOR
CODICIS PVBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS
ERFORDIENSIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM
Ad L. Appellandi. i. §. i. ff. de appellat.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM I. DECEMBR. M DCC XL.
LECTOREM BENEVOLVM
HVMANISSIME INVITAT.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



Quod ab antiquissimis jam jam temporibus ita invaluerit, ut in omnibus Rebuspublicis, Regnis ac Imperiis supremum quoddam dicasterium, ad quod extremæ causarum controversarum cognitiones atque dijudicationes devolverentur, fuerit adornatum, ex politiâ judaica *Exod. c. 18. v. 27.* docemur. Patescit & ex antiquissima Hippodami Milesii lege, quam *ARISTOT. polit. lib. 2. c. 6.* refert, & sunt in vetustioribus historiis exempla passim obvia: specialiter id ipsam testantur perpetuæ Romanæ Reipublicæ observationes, secundum quas appellandi potestas semper ad eum, penes quem summa rerum fuit, delata cognoscitur. Hoc appellationis beneficium commendatione & usu longe dignissimum ut in omnibus bene constitutis Rebuspublicis conservetur, exigit Supremorum Imperantium Majestas & auctoritas, justa Rerumpublicarum administratio, ac civium salus, siquidem justitiæ tanquam fontis omni boni gratiâ Imperatores, Reges & Principes creatos esse omnibus constat, neque justitia aliter conservari, atque paci, tranquillitati & civium salutis consuli potest, quam & si illi, qui legum ferendarum, jurisque condendi potestate pollent, causarum ad se legitimo tramite devolutarum exactam cognitionem ac discussionem suscipere non graventur, convenit hoc Majestati Imperantium, ut ex iisdem legibus à se vel Antecessoribus suis pro conservanda subditorum tranquillitate

latis jus dicant. Accedit, quod Appellationis favor in eo se manifestum reddat, si in pluribus repetitis cognitionibus, multorumvè consiliis & judiciis ventilata veritas non modo facilius & felicius eruatur, sed etiam nitidior appareat, proinde & veritati & justitiæ subveniatur, potissimum cum sæpius iterumque novæ probationes suboriantur, quæ tanquam ad causæ decisionem apprime facientes in prima instantia allegari merebantur, interea per ignorantiam forte non omnino injustam aut penitus improbabilem neglectæ, vel noviter inventæ nihilominus in secunda instantia & quidem cum effectu haud insigni proponi poterunt *L. 4. C. de temp. appellat.* Præterea nullum in Republica genus hominum perniciosius nocere potest, quàm judices, si demandata & concredita sibi potestate abutantur, publica quippe utilitas, imò necessitas exigit, ut judicum inferiorum fraudes, imposturæ, & falsitates detegantur *L. 1. §. 3. ff. de Calumniat.* Hinc tale remedium suppetere & ubique locorum introducere placuit, per quod, si opus fuerit, judicantium iniquitati, aut si hæc adeo aperta non sit, saltem imperitiæ eorundem auctoritate judicis alicujus superioris occurratur. Licet igitur hoc remedium materialiter consideratum in ipso jure naturali, quod nemini beneficium defensionis negat, sit fundatum, non tamen, maximè temere litigantibus, infinita, eo abutendi, licentia indulgetur, sed variis in casibus vel ad competentem modum restricta vel plane denegatur; sic ex generali & inveterata totius Germaniæ consuetudine damnatis in causa criminali, cujus pœna est corporis afflictiva, ne promeritum differatur supplicium, & crimina plurima maneat impunita, appellatio denegatur, quamvis illis ob irreparabile præjudicium ex justa humanitatis & pietatis consideratione prima, secunda imò & ulteriores defensiones pro re nata concedantur. Executio sententiæ in rem judicatam prolapsæ, nisi modus in exequendo excedatur, *L. 4. ff. de appellat. Cap. 43. X. de appellat.* Similiter transactio judicialis: Causa per delationem juramenti voluntarii terminata *L. 20. C. de transact.* Contemptus judicis a vero contumace commissus *L. 1. C. quor. appellat. non recip.* Res minimi momenti saltem de jure

re civili, vel moram non patientes ad minimum quoad effectum suspensivum, quales sunt, si agatur de præstatione futurorum alimentorum, si jubeatur apertura testamenti, si hæres in possessionem mittatur, si frumentum in usum militum contrahatur, *L. 7. de appellat. recipiend.* Notoria per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari queunt. *C. 61. X. de appellat.* Decretum ac definitio à judice secundum clarum juris textum *cit. l. 7. §. 1. de appellat. recipiend.* Possessorium momentaneum *L. un. C. si de moment. poss. fuer. appellat.* Fatalia appellationi præfixa elapsa, & Renunciatio appellationis sive simpliciter, sive jurato facta *L. 1. §. 3. ff. a quib. appell. non lic.* quælibet remedia suspensiva regulariter respuunt. Quibus non pauci addunt tres conformes sententias super uno eodemque articulo latas, hanc prohibitionis rationem ponunt in præsumptione juris & de jure, qua tertiam sententiam credunt esse verissimam, præsertim cum ita litum finis acceleretur. Interim in summis Imperii tribunalibus, uti de Camera Imperii testatur *GAIL. I. o. 27. n. 3.* & de judicio Imperiali Aulico *ANDLER jurisprud. publ. & privat. lib. 2. tit. 20. n. 4.* illa prohibitio vix amplius attenditur. A Principe etiam appellare fas non est *L. 1. ff. à quib. appell. non lic.* ideo vix est, ut procedat illa sic dicta appellatio ab Imperatore vel Principe male informato ad melius informandum, improbat eam *GAIL. I. O. 155. n. 6.* siquidem is reprehensione non vacat, qui supremum Principem in causarum cognitionibus incuriæ aut negligentia in simulat, cujus tamen acta omnia maturo consilii existimantur consilio *L. ult. C. de fideicom.* Id tamen haud negandum est, quod, quando ad relationem alterius, inferioris forte judicis, aut partis, summus Princeps rescriptis aut judicavit & in precibus eidem oblati saltem quid propositum aut importune suggestum arguitur, bonus & moderatus Princeps exceptiones sub- & obreptionis æquo animo audire soleat. Quam Rescripto materiam, an & quando ab iis ulterior provocatio locum habeat, occasione *L. 1. §. 1. ff. de appellat.* publice ex cathedra fufius deducet

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
JOANNES ANDREAS
KESLERVS,

Qui primam hujus mundi lucem conspexit Cosvigæ in Principatu Anhaltino - Servestam die 21. Junii M DC IC. Patrem coluit Virum plurimum Reverendum PETRVM KESLERVM, Diaconum & Rectorem & Matrem SOPHIAM MARIAM CRYSIAM. Avus paternus fuit CHRISTIANVS KESLERVS, Pastor Steckbyensis prope Servestam, progenitus ab ADAMO KESLERO, Pastore Zeugfeldii prope Iriburgum Thuringiæ, filio JO. KESLERI, Pastoris Eichstadiensis prope Primislaviam Marchicam & cum D. ANDREA KESLERO, Superintend. Coburg. proximi consanguinei, & ex Matre CATHARINA, PAVLI SPERLINGII, Pastoris & Adjuncti Lauchenfis, filia. Avia Paterna erat MARIA, PETRI GYSSOVII, Pastoris Gladoviensis in Magdeburgicis terris filia & MARTINI BEVERINI sororuterina. Avum maternum veneratus est ANDREAM CRYSIVM, Pastorem primum restitutæ in Principatu Anhaltino - Servestano religionis Evangelico-Lutheranæ zu Steuß und Nigmes & aviam maternam CATHARINAM ELISABETH, CASPARIS PFREVNDT, ex Gente CARPZOVIA oriundi, Jcti, Consulis primarii Brandenburgensis, & Scabinatus Electoralis Assessoris. A Patre primis institutus litteris, post obitum ipsius An. 1714. præmaturum Brandenburgum abiit in scholam civitatis novæ, ubi sub Rectore meritissimo M. CASPARE GOTTSCHLING, studia humaniora excoluit. Siquidem Anno 1717. Lipsiam adiit, sed iterum reliquit & Leucopetram ad Gymnasium Illustre commigravit, ubi Lectiones Philologicas, Philosophicas & Juridicas D. CHRISTIANI WEIDLINGII, Rectoris, M. GEORGH CHRISTOPHORI BUTTNERI, nunc Superintendentis & Pastoris Querfurthensis & M. JOH. MICHAELIS GVTBIRII Professorum frequentavit solemnibusque Jubilæi Lutherani secundi interfuit. Semestri exacto Lipsiam Ao. 1718. repe-
tiii

tiit ad prosequenda Juris studia solidiora, & Philosophica & Juridica sub D. WEIDLINGIO, Professore Juris Feudalis ordinario maximam partem tractavit, neque minus D. LVDERVM MENCKENIVM Ordinarium Facultatis, D. JOHANNEM CHRISTOPHORVM SCHACHERVM, Professores Juris celeberrimos sedulus audivit & in Collegiis disputatoris se exercuit. Ob causas prægnavantes Lipsiam relinquere coactus Anno 1721. à Viro Perillustri OTTONE WILHELMO ab HESBEKG, Consiliario Intimo & Cancellario Saxonico in hospitium ad sobolem generosissimam receptus in Actis referendis, sub moderamine Viri Excellentissimi fidelissimo felices fecit progressus, qui ad Judicis officium maxime conducunt, insimulque D. JOHANNIS MICHAELIS SEMLERT, Jcti & Practici celebratissimi laboribus inserviit, ex quibus officium Advocati cognoscere potuit. Studiis hisce instructus Serenissimum CHRISTIANVM Ducem Saxonix, supplex adiit & ab ipso impetravit, ut præmissò Examine & præstito Jramento Advocatis Regiminis d. 9. Sept. 1723. adscriberetur. Anno 1727. Vinariam abiit, ut causas Camera in serviciis WILHELMI ERNESTI, Ducis Saxonix oraret, & Duce beatissime defuncto à Serenissimo ERNESTO AVGVSTO, Duce Saxonix in numerum Advocatorum ordinariorum Anno 1731. gratiosissime receptus. Jure quasi postliminii repetiit Leucopetram, ubi Serenissimus JOHANNES ADOLPHVS, Dux Saxonix ipsi officium Procuratoris Camera indulgentissime contulit, simulque partibus litigantibus in causis orandis, pro viribus adstitit. Tandem, suadentibus circumstantiis, supremos jurium honores capeffere animum induxit, propterea perantiquam nostram Hieranam accessit, honestam suam intentionem declaravit, atque admissionem ad examen Candidatorum juris rigorosum modeste petiit. Annuit Ordo noster petitis, & textus ex utroque jure elaborandos ei assignavit, quos doctè & legaliter exposuit, & in ipso examine ad quæstiones propositas tam promptè respondit, ut supremis jurium honoribus perquamdignus unanimiter judicatus, proinde ad reliqua specimina, puta ad lectionem curriculum ad rubricatam legem & Dissertationem Inauguralem

DE

DE
SVPREMA AD DVCEM SAXO-
NIÆ QVERFVRTHENSIS APPEL-
LATIONE,

admissus fuerit. His actibus solennibus ut Magnus Univer-
sitatis Rector, omniumque Facultatum Decani, Professores,
Doctores, Licentiati, Magistri atque strenui Jurisprudentiæ
Cultores die 1. Decembr. horis consuetis interesse velint,
officiosè & amicè invitantur, rogantur. Publ. sub Sigillo
Facultatis Juridicæ d. 27. Novembr. M DCC XL.





ULB Halle
005 361 192


3



VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

1740,8

386
18

ULTATIS JURIDICAE
DECANVS,
WILHELMVS
RECKER, JCVTS,

SIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
OGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS,
CVLTATIS ET JVDICII ELECTORALIS
ASSESSOR SENIOR, PROFESSOR
VBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS
DIENSIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD
DAM LECTIONEM CVRSORIAM
L. Appellandi. 1. §. 1. ff. de appellat.

ET
ATIONEM INAVGVRALEM
DIEM I. DECEMBR. M DCC XL.
DREM BENEVOLVM
HVMANISSIME INVITAT.

ERFORDIAE,
H. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.